

men habet singularem effectum, & impedit jus adrecedendi, cui locus fieret, si non exprimeretur. Excipe tamen casum, quo mentio fieret jurispatronatus, non tanquam rei obnoxia venditioni, sed velut admonitio quaedam specialis facta emptori, ut nimirum ipse intelligat, quænam sint jura, quæ rem venditam sequantur, possitque illorum conscius factus eadem faciliè exercere; quæ sanè venditoris mens ex conjecturis elicietur, veluti si adpareret, fundi pretium occasione jurispatronatus adauctum non fuisse, aliisque similibus argumentis. Quæri adhuc solet, num vendi saltem actio possit, qua emptor coram iudice experiatur ad petendum juspatronatus, de quo sit controversia. Verius arbitror, neque hanc venditionem esse admittendam, quum actio ad rem petendam induat eandem naturam, quam habet res ipsa, argumento l. 18. ff. de auctoritate tut., & l. 16. cod. de usuf., & nihil interesse videatur, an quis rem habeat ipsam, an actionem ad rem petendam, l. 15. ff. de Reg. jur., l. 52. ff. de acquir. rer. dom., l. 17. ff. de acquir. possess. His accedit, admissa hac venditione, variis statim collusionibus præbitum iri occasionem, & passim eventurum, ut sub specie probatæ venditionis actionis ad juspatronatus consequendum, jura ipsa patronatus veniant in detestabilem mercaturam.

Si de jurispatronatus donatione quærat, distinguendum in primis est inter laicum, & ecclesiasticum patronatum. Qui ecclesiastico jurepatronatus gaudet, non nisi in iis casibus donare illud poterit, quibus aut jura, aut res sui beneficii alienare potest; imò & in ipsa donatione eas omnes intercedere oportebit solemnitates, quæ generaliter in alienatione juri, & rerum ecclesiasticarum sunt custodiendæ, præsertim juxta extravagantem unic. de rebus Eccles. non alien. int. com. Si verò quisquam laicum habeat patronatum, iterum distinguendum est, an donaturus sit vel eidem, vel alteri Ecclesiæ, vel loco religioso, vel alteri

laico. Cùm Ecclesiæ, vel loco religioso donetur, donatio tanquam Ecclesiæ utilis, etiam non accedente Episcopi consensione, valebit, cap. 7. de donat., cap. 8. & 14. de jurepatron., cap. unic. eod. tit. in 6.: cùm fiat alteri laico, non valebit, nisi Ordinarii accedat auctoritas, dicto cap. 7. 8. 14. & unico. Sunt qui putant, sufficere in proposito, ut expetatur Ordinarii consensus, quasi Ordinarius ipse aut cogatur consensum præstare, aut si invitus sit, nihilominus ad donationem ritè deveniatur. Quoniam verò qui ita opinantur, non aliud, quoad ipse non verim, præferunt argumentum, quam quod deducitur ex cap. 17. de jurepatron., istud autem nihil habeat cum proposita specie commune, non video, quæ ratione cogi Episcopus possit ad præstandum consensum, quasi novum patronum, quem nec fundatoris tabulæ expresserunt, neque natura patronatus exposcit, nulla id suadente utili causa, invita Ecclesiæ recipere teneatur. Memoratum Alexandri III. rescriptum pertinet ad salubrem illam providentiam, quæ ejusdem Pontificis ætate & scriptis jam legibus firmata fuerat, & exemplis. Jamdiu laici occupaverant bona Ecclesiarum, & Clericorum: ut ut ad restitutionem concitarentur sollicitudine Antistitum, parere renuebant, incusantes modò ambitum, modò avaritiam, modò generaliter depravatos mores Clericorum, aut etiam allegantes affluentem redditum Ecclesiarum, quibus faciendæ erat restitutio. Cùm autem paratos sese exhiberent ad concedenda occupata bona, & jura potius monasteriis, vel Clericis illis, qui tùm primùm communem vitam inire cœperant, veluti transactione composita res fuit; nimirum id ipsis licere pronunciatum est, dummodo Episcopi consensus accederet; quod sanè factum fuit, ut hinc facilius ad Ecclesiam bona eadem reverterentur, illic salva manere videretur potestas Episcoporum, qui potius, quam laici possessores, cùm consentirent, tùm credebantur auctoritate sua bona de una in aliam Eccle-

cle-

clesiam transferre. In his adjunctis, quæ adulerat temporum difficultas, improbat Alexander III. illorum Episcoporum duritiam, qui consentire noluerunt, ac professus est, se suppleturum auctoritate sua, quod auctoritate Episcopali perfici minimè potuisset.

Denique juspatronatus semel constitutum transferri de uno in alium potest per præscriptionem, qua tamen in re oportet distinguere ecclesiasticum à laico patronatu. Nam si adversus ecclesiasticam dignitatem, vel officium præscribatur patronatus, quicumque tandem sit præscribens, sive laicus, sive ecclesiasticus, non minor admitteatur præscriptio, quam quadraginta annorum, cùm hæc, & non minor, saltem hodie, in rebus ecclesiasticis locum habeat, quemadmodum in præcedente capite demonstratum fuit; & in hac materie non tam inspicienda sit conditio illius, qui præscribat, quàm illius, contra quem præscribatur, cap. 4. & 6. de præscription., cap. 2. eod. tit. in 6. Id ipsum dicendum erit de patronatu mixto, utpotè qui in iis, quæ specialem favorem exhibeant, patronatui ecclesiastico comparatur. At si præscribatur adversus laicum patronum, sive lai-

cus, sive ecclesiasticus præscribat, solùm triginta annorum spatium sufficiet, cùm non agatur de ecclesiastico privilegio, quod tantum locum faceret quadragenariæ præscriptioni, aliàs autem nemo ignoret, jura ferè omnia triginta annorum spatio præscribi: Porro quæcumque sive tricenaria, sive quadragenaria præscriptio proponatur, non aliter proderit, quam si bona præscribenti fuerit fides, cap. 5. de præscription., cap. 1. eod. tit. in 6., cap. ult. de consuetud., quamquam ista semper præsumatur; non tamen necessarium erit allegare titulum, vel probare, cùm talis sit præscriptio, quæ juri communi non adversetur; neque enim jus commune uni potius, quam alteri juspatronatus Ecclesiarum, aut beneficiorum addicit; & quæ de justo titulo probando, ac de immemoriali possessione tradita sunt in capite præcedente, præsertim in conspectu decretorum Tridentini Concilii, pertinent quidem ad eum, qui velit patronatum præscribere adversus Ecclesiæ libertatem, non ad eum, qui velit alienum patronatum sibi jure præscriptionis adserere, juxta notas juris Pontificii regulas in dict. cap. 1. de præscr. in 6.

CAPUT VI.

De modis, quibus juspatronatus probandum est.

Perfidia improborum hominum, & oblivio factorum vetustorum, quæ quosque etiam prudentissimos fallit, res humanas adeò persæpè turbaverunt, ut, quemadmodum illa viam ad res ac jura aliena invadenda aperuit, ita ista rebus semel jure quasitis retinendis obfuisse noscatur. Id contigisse in jurepatronatus quotidiana ferè experientia demonstrat, in quo nonnulli ingenitam libertatem quarundam Ecclesiarum, aut beneficiorum callidis artibus sustulerunt; modò effingentes tabulas foundationum, ac donationum, quæ nunquam existerunt,

modò jactantes privilegia, quæ nunquam obtinuerunt; modò longam consuetudinem prætexentes, ubi nullum haberent titulum, ut Ecclesias, ac beneficia ad sua jura traherent; nonnulli è contrario jurapatronatus semel jure quasita amittere coacti sunt, quod vetera monumenta, quibus illa demonstrarentur, aut ex oscitantia, aut ex injuria temporum omnia ferè corrodentium, amiserunt. Huc respexerunt Tridentini Antistites, quando initio capitis 9. sess. 25. de Ref. professi sunt, æquè injustum esse, legitima patronorum jura tollere, ac iniquum sit

liberas Ecclesias in quandam veluti servitutem redigere. Ecquidem cum quis allegat, se esse cujusdam Ecclesie, vel beneficii patronum, id coram Episcopo probandum est, si forte Episcopus contradicat, & nomine Ecclesie vindicet libertatem, cum omnia beneficia libera collationis esse presumentur, can. 10. caus. 16. quast. 7. cap. 6. vers. *quia vero* de exception., verum cum ab allegante juspatronatus demonstrandum, probandumque in judicio est, moderatione quadam opus esse videtur, ut hinc patronatibus legitime quasitis fraus minime fiat, illinc libertati Ecclesie consulatur, quod tum demum fiet, cum probationes non in omnibus casibus similes exigantur, sed modò vividiores, & prope modum evidentes requirantur; modò etiam remissioribus argumentis locus datur; modò conjecturis indulgeatur, presertim si graves sint, aut etiam levioribus, si plures unà concurrant, & movere valeant prudentem Judicem, attenta qualitate personarum, de quibus vel major, vel minor sit usurpationis suspicio, item attenta qualitate temporis, quo quis patronatum possederit, cum magis favendum sit illi, qui possessionem allegat non à patre tantum, aut avo, sed & à priscis majoribus ad se usque traductam, quam illi, cujus non adeo antiqua possessio proponatur. Ut res accuratè tradatur, duo distinguenda sunt tempora, illa primùm consignanda, quæ præcesserunt Tridentinum Concilium, deinde recentiora, quorum disciplina Tridentinis Constitutionibus regitur.

Itaque ante Tridentinum Concilium plures erant modi juspatronatus in judicio probandi. In primis, & præ cæteris, probatio fiebat per tabulas foundationis, seu per instrumenta demonstrantia foundationem, constructionem, aut donationem, dummodò illa authographa essent, aut dummodò, perditis authographis, talia producerentur exemplaria, quæ testes fide digni renunciarent cum authographis penitus consonare. Secun-

dò, quoties instrumentis probari jus nequeat, etiam testibus probabatur; neque enim semper, ut ajebat prudenter Imperator Hadrianus in l. 3. §. 2. ff. de testibus, publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur, eamque ob rem testibus credi etiam debet; dummodò isti aut dicerent, se publica instrumenta vidisse, ex quibus de juspatronatus constaret; aut de juspatronatus fama testimonium ferrent, cap. 12. de privileg., l. 18. in fine cod. de testib. l. 5. cod. de fide instrum. Huic probationis generi non dissimile erat, quod fieret per plures, uti vocant, enunciativas in diversis instrumentis expressas à diversis notariis, quæ sanè enunciativa presertim in antiquis publicam exhibent famam, dummodò patronus unà probaret, se per annos quadraginta in presentandi quasi possessione fuisse. Tertio probari poterat juspatronatus per insignia familiarum, vel nominum inscriptiones, vel epigraphia vetustissima, in quibus juspatronatus expressa mentio fieret; aut si ex illis tantum conjecturæ educerentur, aliis istæ adminiculis juvarentur. Quarto probatio admittebatur, quæ fieret ex multiplicatis centum annorum presentationibus, quæ omnes effectum sortitæ essent, etiam si titulus non satis perspicue demonstraretur, ac potiore jure, si presentationes tanto tempore factæ fuissent, ut nulla sit initii memoria; etenim hæc immemorialis possessio loco cujusque optimi tituli est, cap. 1. in fine de prescription. in 6. Quinto id ipsum probabatur vel per decretum, vel per sententiam Episcopi, à quo aut alimenta alicui tanquam patrono decreta fuissent, vel agnitionem juspatronatus post concitatam in judicio controversiam, vel tempore visitationis descriptum beneficium, aut templum fuerit, tanquam patronatum; aut etiam tanquam patronatum consignatum fuerit in archivo Episcopali. Denique demonstrabatur juspatronatus per assertionem, seu, ut alii vocant, narrativam Pontificis Maximi, qui in concessione be-

ne-

neficii, aut in alio providentiali actu gratia vel Ecclesie vel beneficii, asseruerit; beneficium vel Ecclesiam patronatui subjacere, Clement. un. de probat., dummodò tamen Pontifex Maximus non adjecisset clausulam, *ut fertur*, vel similem aliam ex qua deducatur, eam non fuisse certam ejusdem Pontificis Maximi sententiam. Qui plura in hanc rem considerat, ea inveniet apud De-Fargna de juspatronatus parte 5. can. 12. casu 1. num. 6. & sequentibus.

Rigidiorum postulavit probationem Tridentinum Concilium in cap. 9. sess. 25. de Reform., non quidem ab omnibus indiscriminatim, sed ab iis, qui potentes essent, & in quibus probabilis esse potest usurpationis suspicio. Ajunt Tridentini Antistites, titulum juspatronatus esse debere ex fundatione, vel donatione, qui *ex authentico documento, & aliis jure requisitis* ostendatur, vel etiam ex multiplicatis presentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui *hominum memoriam excedat*, aliàsve *secundum juris ordinem*. Si nihil aliud adjiceretur, in his nihil novi constitutum adpareret, sed tantum confirmata vetus disciplina, uti presertim liquet ex laudatis verbis, & aliis *jure requisitis*, item *secundum juris ordinem*. Ergo nec prescriptio quadragenaria bona fide, & justo titulo munita excluditur, quemadmodum superius demonstrabam in cap. 4.; ergo neque excluduntur superius laudati probandi modi, utpotè qui in jure fundamentum habent. Tantum voluerunt Patres Tridentini abolere disciplinam privilegiorum liberaliter concessorum in detrimentum Ecclesiarum, ac beneficiorum, qualia sæculo decimoquinto, & decimosexto passim invaluerant. At enim prosequuntur, & ajunt: *In iis vero personis, seu Communitatibus, vel Universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quasitum præsumi solet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si, præter alia ad eam neces-*

Tom. II.

saria, presentationes etiam continuatæ, non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Singulare omnino est in hac parte Tridentinum decretum, & non nisi certas personas, certasque Communitates, Universitatesve comprehendit. Hinc definiri in primis potest, in aliis, qui comprehensi in ea decreti parte non sunt, veterem adhuc vigere disciplinam, utpotè non immutatam à Tridentino Concilio, proindeque iis omnibus modis probari ab ipsis posse juspatronatus, quos proponi ante Concilium potuisse superius tradebam. Itaque à generali ratione probandi juspatronatus exclusi sunt omnes, quibus juspatronatus ex usurpatione quasitum præsumi potest; atque istis onus impositum fuit, clarius, & pænè cum evidentia jus exhibendi, quod allegant. Et rectè: siquidem cum mera consuetudo allegatur sine titulo, aut quidem cum titulo, sed non satis ostenso; aut cum conjecturæ tantum proferuntur, utut graves; non est hæc facti evidentia, sed presumptio, modò gravior, modò levior, prout vehementiora, vel leviora sunt argumenta: at hæc presumptio eliditur contraria presumptione, quam inducit usurpationis suspicio in eo genere personarum. Hinc statutum fuit, non quidem omnes omnino conjecturas etiam gravissimas, & quæ propè attingant evidentiam, non quidem prescriptionem quadragenariam justo titulo, & bona fide munitam excludi; sed cautum, *ut plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur*; quasi ab hisce patronorum generibus non excludantur argumenta legitima, & veluti fontes probationum, sed excludatur ea probandi ratio, quæ in aliis eo genere non comprehensis permittitur. His simile est, quod traditur de immemoriali prescriptione, quam nec sufficere visum fuit ad allegandum, exhibendumque titulum, nisi quinquaginta annorum presentationibus muniatur. Reverà prescriptio immemoria-

S

ria-

realis loco tituli esse dicitur, & qui eam allegat, habetur ac si quemcumque optimum titulum demonstraret. Verum hic ipse titulus non verè demonstratur, sed intra præsumptionis, utur gravissimæ, limites continetur; proindeque nec ista præsumptio satis valere visa fuit, nisi eidem alia præsumptio accederet, quæ emergeret ex præsentationibus per annos quinquaginta factis, & effectum sortitis. Atque hac in parte quidquam amplius visum est postulari in præscriptione immemoriali, quam in ordinaria, quæ quadragenaria est, non sanè quòd ordinaria sit validior immemoriali natura sui, sed quòd in ordinaria titulus reverà allegetur, & probetur, in immemoriali præsumatur, & loco tituli sint præsentationes illæ quinquaginta annorum, utur semper sint titulus præsumptus. Imò nec quidquam amplius adjectum videtur præscriptioni immemoriali, quam ad adjuvandam præsumptionem tituli, & ad excludendam suspicionem usurpationis; cum spatio quinquaginta annorum non adeo facilè perire potuerint authenticæ præsentationum scripturæ. Huic rigidiori probationum formæ adstringuntur primùm ex Tridentino decreto *Communitates*, vel *Universitates*, quarum sanè nomine non veniunt aut Collegia Clericorum, aut Monasteria, de quibus non videtur esse usurpationis suspicio. Veniunt igitur Universitates, seu Communitates laicorum, apud quas identidem ex multitudine & potentia populi agnatum est, sine titulo Ecclesiarum jura usurpata fuisse. Ne verò quisquam sub Communitatum, aut Universitatum nomine comprehensa crederet Studia Generalia, id expressum voluit Concilium Tridentinum, quòd in dicto cap. 9. vers. *Exceptis*, singularem mandavit rationem haberi Generalium Studiorum. Deinde ex Tridentino decreto adstrictæ fuerunt rigidiori probationi juris patronatus personæ illæ, in quas usurpationis suspicio caderet. Istæ sunt personæ potentes, quarum scilicet in cer-

to loco, ubi beneficia, & Ecclesiæ consistunt, magna potestas est, præsertim cum jurisdictione conjuncta. Non tamen ad Supremos Principes Tridentinum decretum refertur, de quibus tantùm abfuit, ut Tridentini Patres suspicionem usurpationis haberent, quin potius eorum singularem haberi rationem voluerint in dicto cap. 9. ibi: *Exceptis patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, aliosque sublimes, ac supremos Principes jura imperii in dominiis suis habentes pertinent.* Tradunt Pragmatici, hanc Concilii Tridentini constitutionem exigentem in potentibus rigidioram probationem, non solum in judicio petitorio, sed etiam in possessorio locum habere, quam ad rem laudant decretum Congregationis Concilii anni 1598. die 13. Januar. Non tamen locum habet, ubi non de beneficiis ecclesiasticis agatur, sed de laicis Cappellaniis, cum in istis non agatur de imminutione jurium ad Ecclesiam pertinentium, de quibus solliciti fuerunt Antistites Tridentini. Item locum non habet, quotiescumque personæ potentes non petant, aut vindicent jus patronatus adversus Ecclesiæ libertatem, sed potius petant, aut vindicent à tertio possessore; neque enim per Tridentinum decretum obviam itum est tuendis privatorum juribus, sed tuendæ potius Ecclesiarum, ac beneficiorum libertati. Denique si jus patronatus adversus Ecclesiam simul vindicetur à persona potente, & ab alio omninò privato, de quo nulla sit usurpationis suspicio, nec tum quidem puto, rigidioram illam probationis formam esse observandam; ne aliàs ex interventione personæ potentis privata persona ad judicium accedens damnum sentiat; & ex alia parte inæquale judicium instituat in concursu plurium contendendum, quemadmodum Pragmatici plures observaverunt, laudati à De-Fargna in parte 5. de jure patron. can. 12. casu 3. num. 9.

CA-

CAPUT VII.

De juribus Patrono ex Canonum disciplina concessis.

NON semper eadem, & constans fuit disciplina, qua patronis certa jura ex sacrorum canonum indulgentia concessa fuerunt. Siquidem licèt olim vix concederetur aut inscriptio nominis, aut specialis commemoratio habenda inter publicas preces, aut honor processionis, quemadmodum veteres loquebantur; sensim tamen obtinuit, ut jura juribus accumularentur. Hodie tamquam præcipuum jus habetur, quod in præsentatione consistit, cap. 3. de jure patron. , cap. 1. de præbend. in 6. Et quidem quousque collatio beneficiorum à collatione sacrorum ordinum minimè distinguebatur, patroni, cum beneficium vacaret, quendam idoneum sistebant apud Episcopum, pro modo officii beneficio adnexi ordinandum; & ordinatione ipsa Clericus patronatæ Ecclesiæ adscribatur, can. 32. caus. 16. quæst. 7. Postquam verò sejungi cœpit collatio beneficii à collatione ordinis, cœperunt patroni etiam ordinos sistere causa beneficii ex Episcopali institutione consequendi. Itaque actus patroni certam personam sistens præsentatio dicta est, quæ, ut liquet, speciem quandam habet commendationis Episcopo factæ, quam deinde Episcopalis institutio sequitur, can. 38. caus. 16. quæst. 7., cap. 4. hoc tit. Porro hoc jus præsentandi, utur vix à commendatione distinguatur, adeo plenum est, atque expeditum, ut ordinarius beneficii collator præsentatum instituere in beneficio teneatur, nisi fortè præsentatus aut ineptus demonstretur, aut indignus, cap. 4. de offic. jud. ordin. Hinc datur facultas præsentato, quem sine causa Episcopus instituere recuset, ad Superiorem appellandi, cap. 29. hoc tit., quin ordinarius possit se excusare ajendo, sibi notas esse singulares causas, quas non æstimat aperiendas, ne fortè eo prætextu legitimis patronorum juri-

bus contra mentem Ecclesiæ detrahatur, juxta caput 9. principio Tridentinæ sessionis 25. Ex his facilè satisfieri potest vulgari quæstioni, an etiam laicus possit à patrono apud Episcopum præsentari. Multa in hanc rem Pragmatici scripserunt, quorum alii nominari quidem laicum posse dixerunt, non præsentari; alii etiam præsentationem admiserunt, dummodò sub conditione fieret, videlicet clericatus obtinendi; alii alia adjecterunt, universi nulla legis definitione innixi, tantùm hoc principio contententes, quo statuerent, per præsentationem jus ad beneficium adquiri, cujus juris laicos incapaces esse dixerunt. Ego sanè, cui simplices observationes placent, & alienæ à perplexitate verborum, respectio ad veterem præsentandi usum, qui vigeat, quum collatio beneficiorum erat cum ordinum collatione conjuncta; & cum intelligo præsentari à patronis consuevisse necdum ordinos, sed ordinos fieri præsentationem posse. Neque verò separata collatione ordinum à collatione beneficii, aut natura præsentationis, aut præsentati ratio, aut præsentantis jus immutata fuerunt; sed tantùm facilior redditus fuit gratia Episcoporum ordines conferentium ordinationis ritus, dum Episcopi potuerunt etiam sine collatione beneficii Clericum ordinare. Quid igitur est, quod dicitur, præsentationem etiam jus tribuere ad beneficium? Nihil aliud profectò, quam præsentatione facta jus adquiri præsentato, ut, quoties nihil aliud obstat, præsentatus ordinetur in eo ordine, qui beneficio adipiscendo congruat, eodemque tempore Ecclesiæ beneficii adscribatur, & beneficio donetur, quæ si ita explicentur, uti explicari commodè debent, percipitur statim, ejus juris laicum non esse incapacem. Tantùm observatione